

Resp. negativè : Nam Dominus non consecravit panem intinctum, sed panem sicum. Item buccella intincta porrecta est soli Judæ, Eucharistia verò omnibus apostolis distributa fuit. Denique ex supra dictis sensus clarum est quòd Judas illam buccellam tantummodo accepit, postquam janam Eucharistia omnibus distributa fuisset.

Dices : S. P. Aug. per buccellam intinctam intelligit corpus Christi; nam, tract. 6, et rursus tract. 26 in Joan., agens de Eucharistie sacramento, dicit: *Nonne buccella Dominica venenum fuit Judæ? Ergo, etc.*

Resp. : Neg. ant., quia locis citatis non dicit illam buccellam esse eandem cum illa de qua Joannes loquitur cap. 13, sed simpliciter dicit: *Buccella Dominica*; quod de Eucharistia optimè intelligi potest, licet illa buccella non sit panis intinctus, de quo capite agens agit Joannes. Unde Augustinus ex professo agens de illo pane intincto, apertissimis terminis docet per buccellam intinctam non posse intelligi Eucharistiam; imò tanquam negligenter legentes arguit illos qui de Eucharistia præcitatum Joannis textum intellexerunt. Verba ejus, tract. 62 in Joan., sunt sequentia : *Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc et Judas Christi corpus accepit : intelligendum est enim quòd jam omnibus eis distribuerat Dominus et sacramentum corporis et sanguinis sui, ubi et ipse et Judas erat, sicut S. Lucas apertissimè narrat. Ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Augustini apertissimè Dominus per buccellam et intinctam atque porrectam suam exprimit proditoricè rem.* Vide etiam D. Thomam, 5 part., q. 81, a. 2, ad 5.

Petes 2º quo sensu dicat Lucas, cap. 22, v. 3 : *Intrauit autem Satanæ in Judam.*

Resp. ipsum id non eo sensu dicere quasi Satanæ occupasset corpus Judæ, ut sit in energumenis, sed quia pessimam venditionis Christi voluntatem illi inspiravit. *Quomodo*, inquit S. Augustinus, *intrauit in eor, nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationum iniquarum?* lib 5 de Cons. evangelist., cap. 1, juxta illud Joan. 13, v. 2 : *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas.* Ibidem autem, v. 27, de eo rursus dicitur : *Et post buccellam introiit in eum Satanæ.* Attamen sciendum est quòd per hæc verba non significatur quòd tunc demum Satanæ in eum intrauerit; sed tantum insinuetur quòd post acceptam buccellam plenius à diabolo possessus sit, quam fuerat ante, prout explicat S. Aug., loco citato, dicens : *Cum intelligere debemus à diabolo Judam plenius esse possessum; sicut contra in bono illi qui jam acceperant Spiritum sanctum, quando eis post resurrectionem insufflavit, dicens : Accipite Spiritum sanctum, postea eum, cum desuper missus esset in die Pentecostes, utique plenius acceperunt.*

#### CAPUT XXV.

Postquam Judas e cœnacio egressus est, discipuli inter se contenderunt quis eorum videretur esse major, et consequenter à proditorum alienior : quo-

rum studium præposterum repressit Christus, Luca 22, à v. 24 usque ad 51; deditque mandatum novum dilectionis, Joan. 15, v. 54. Deinde Petro jactanti constantiam suam prænuñciavit triam negationem, Luca 22, à v. 51 usque ad 58; Joan. 13, à v. 56 usque ad finem. Post hujusmodi triste vaticinium humanissimè consolatus est, et erexit discipulorum animos prolixo sermone, Joan. toto capite 14, 15 et 16, quem complevit oratione ad Patrem fusà pro apostolis, et pro omnibus credentibus, ibidem toto capite 17.

#### QUESTIO PRIMA.

*Quoties Dominus Petro prædixit negationem, et de quo galli cantu loquatur.*

Resp. et dico 1º : Dominus prædixit Petro negationem tertio. Ita S. P. Aug., lib. 3 de Cons. evangelist., cap. 2.

Probat, quia tres diversas circumstantias narrat evangelistæ, in quibus dicitur Petrus expressisse presumptionem suam diversis locis sermonis Christi, et illi à Domino responsum quòd eum esset ante galli cantum ter negaturus, inquit S. Aug., loco citato. Ergo tertio Christus ipsi prædixit negationem.

Prob. ant. Primà vice ei prædixit Joan. 15, v. 56, ubi occasione verborum suorum ad Petrum : *Quòd ego eado, non potes me modo sequi : sequeris autem postea.* V. 57 : *Dicit ei Petrus : Quare non, possum te sequi modo? animam meam pro te ponam.* V. 58, respondit ei Jesus : *Animam tuam pro me ponas? amen, amen dico tibi : Non cantabit gallus, donec ter me neges.*

Prædixit ipsi secundà vice occasione aliorum verborum, Luca 22, v. 52 : *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* V. 55 : *Qui dixit ei : Domine, tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire.* V. 54 : *At ille dixit : Dico tibi, Petre, non cantabit hodiè gallus, donec ter abneges nōsse me.* Hæc dux predictiones factæ sunt in cœnacio.

Tertià verò predictio facta est in vià ad montem Oliveti, et iterum occasione aliorum verborum, scilicet Matth. 26, v. 50 : *Hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.* V. 51 : *Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in istà nocte.* V. 53 : *Respondens autem Petrus, ait illi : Quæ si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabo.* V. 54 : *Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Idem habet Marcus, cap. 14, v. 26 et seq. Ergo tres sunt diversæ circumstantiæ; seu tres diversi sermones Christi, in quibus Petrus expressit presumptionem suam, et negatio ipsi à Domino prædicta fuit.

Dices : Intoleranda fuisset Petri præsumptio, si post tertiam predictionem ausus adhuc fuisset dicere Marci 14, v. 51 : *Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo.* Ergo non ter, sed tantum bis videtur ipsi Dominus prædixisse negationem; nempe semel in cœnacio; et de hac predictione agunt Lucas et Joannes : et postea iterum in vià ad montem Oliveti, uti dicunt Mattheus et Marcus.

Resp. Neg. conseq. Nam quòd predictio negationum, de qua agit Joannes, non sit eadem de qua agit Lucas, inde liquet quòd utraque sit facta in diversis circumstantiis, uti supra probatum est. Quantum autem ad presumptionem Petri, dico eam quidem fuisse magnam; sed quòd fuerit intoleranda, certò probari non poterit. Siquidem proveniebat ex animo valde Christum amante; quique proinde sæpius eodem modo respondisset, si Christus negationem sæpius prædixisset; obruerat enim ejus mentem nimis ardor pectoris, ex quo fumus quidam presumptionis exoriebatur. Dico igitur cum S. P. Aug., loco præcitato, non debere videri incredibile, et aliquantum disjunctis intervallis temporis Petrum commotum esse et ad præsumendum, sicut ad negandum; vel ei Dominum aliquid ter simile respondisse; quandoquidem eadem contextim, nullis aliis interpositis rebus et aut verbis post resurrectionem ter illum interrogaverit, utrum eum amet, et ter hoc idem respondit, etiam ipse mandatum de pasceendis ovibus suis unum idemque ter præceperit.

Dico 2º : Verba Christi : *Non cantabit hodiè gallus, donec ter abneges nōsse me*, intelligenda sunt de primo galli cantu nocturno, pro primà negatione; et de secundo galli cantu, pro secundà et tertà negatione.

Probat, quia Marci 14, v. 50, habetur : *Primum quam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus.* Deinde v. 68, post primam negationem dicitur : *Et gallus cantavit.* Tum, v. 72, post secundam et tertiam negationem subjungitur : *Et gallus iterum cantavit.*

Dices : Tres alii evangelistæ dicunt absolute : *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Ergo videtur verba illa intelligenda de primo galli cantu futuro post tertiam negationem.

Resp. particulam *bis*, quam addit Marcus, in aliis evangelistis esse subintelligendam, hoc sensu : *Antequam gallus cantet bis, ter me negabis.* Illi ergo dixerunt quidem numerum negationum, sed numerum galli cantus omiserunt, quem Marcus supplevit, et solus narravit expressius, inquit rursus S. Augustinus.

#### QUESTIO II.

*Quomodo dispungenda sint verba Joan. 14, v. 51 : et an Christus immediatè post discesserit ad hortum Gethsemani.*

Postquam Christus undecim apostolos consolatus fuisset, eisquo se alium Paraclitum à Patre missurum promississet, tandem subjungit : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.* Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc. Ita quidem communiter legunt omnia Biblia, ut post, facio, ponatur punctum : sed, ut videtur, non satis benè : nam sensus est imperfectus et similis huic : *Sed ut ostendam quid sim vir honestus, vel : Ut ostendam quòd diligam Patrem, et velim ipsi obedire.* Ille sensus est imperfectus; remanet enim aliquid quo ostendat illud quod asserit. Rectius ergo poneretur tantum comma, et tunc sensus est hic : *Venit princeps hujus mundi, nempe diabolus, et in me non habet quidquam :*

unde non sum meritis mortem. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et quia libenter impleo mandatum ejus de subeunda morte, surgite, eamus hinc ad hortum Gethsemani, et ego deinde ad mortem. Hoc modo legitur S. P. Aug., lib. 2 de peccatorum Meritis, cap. 51, et tract. 79 in Joan.; item in Psal. 137; S. Hilarius, lib. 9 de Trinitate, Barradius, Toletus et plurimi alii.

Surgite, eamus hinc. Putant Chrysostomus et Euthymius quòd Christus apostolos, jam nimio terrore correptos deduxerit in locum magis abditum et tutiorem, ut ibi attentius audirent illum sermonem, quem evangelista Joannes, cap. 13, 16 et 17, describit. Attamen hæc opinio non apparet satis vero similis : nam Christus in eadem domo mansit, ut mox patebit : in eadem autem domo unus locus non est tutior altero.

Alii verò putant Christum post verba : *Surgite, eamus hinc*, exivisse domo, et in vià ad hortum habuisse illum sermonem. Ita sentiunt Cyrillus, Beda et Toletus; et quidem, ut à Lapide dicit, etiam Augustinus. Sed, salvà ejus fide, Augustinus habet contrarium, tract. 112 in Joan., dicens : *Terminato magno prolixoque sermone, quem post cœnam Dominus fundendo pro nobis proximus et adjunctus ad discipulos habuit, qui cum illo tunc erant, et adjuncta oratione, quam dixit ad Patrem, deinceps ejus passionem Joannes sic exorsus est : Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus in quem introiit, etc.*

Dicendum igitur quòd probabilius sit Christum non statim exivisse illa domo in qua cœnaverat. Primò, quia Joannes non narrat ipsum statim exivisse, sed postis insinuat eum continuassee suum sermonem. Secundò, quia in vià eundo, talem ac tantum sermonem non potuisset commodè dicere, ita ut apostoli omnes ipsum sequentes omnia ista audirent, ac intelligerent. Tertio, quia Joannes cap. 18, v. 1, dicit Christum, finito omni sermone, tandem egressum esse : *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est, etc.*

Dicit ergo : *Surgite, quia verè è mensù surrexit, et in pedes se erexit, jussitque apostolos idem facere, ut secum abirent in montem Oliveti.* Sed ut solent valedicentes chari et amici, qui agrè suis, quos summe amant, valedicunt, et agrè ab ipsis avellunt, sermonem abruptum resumere, et prolongare; unde illud Ovidii, lib. 1 Tristium, elegià 3 :

*Ter lamen tetigi, ter sum revocatus, et ipse, Indulgens animo, pes mihi lardus erat. Sæpè valedico, rursus sum multa locutus, Et quasi discendens oscula summa dedi.*

Ita similiter Dominus dat extremum vale, surgit et vult abire; manet stans, sermonem suum resumit, et prolongat usque ad caput 18.

Petes 1º quis sit sensus verborum Christi, Joan. 15, v. 15 : *Majorum hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Resp. Aliqui hic interserunt particulam, *quam*, et legunt : *Quam ut animam suam ponat, etc.*, sed malè :



nam tunc propter precedentem partem hęc, sensus est omnino falsus, scilicet hic: *Majorem habet meam dilectione quā pro vobis morior, dilectionem nemo habet quā ut (id est, nisi qui) animam suam ponat (id est, qui vitam suam ponit, vel qui moritur) pro amicis suis.* Adeoque sequetur quod qui moritur pro amico suo, magis ipsum diligit, quā Christus nos dilexit moriens pro nobis: hoc autem absolutissimē falsum est. Sensus igitur est: Nemo potest ostendere majorem amorem amico suo, quā qui pro amico suo moritur.

Peies 2<sup>o</sup> quomodo capite citato, v. 15, dicat Christus: *Omnia quęcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis, et tamen capite sequenti, v. 12, asserat: Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo.*

Ad hoc respondent Euthymius, Estius ac alii quod Christus apostolis suis omnia nota fecerit, quę à Patre sciebat tanquā legatus, sive omnia quę audiverat à Patre ipsis notificanda. Sed cum audivisset à Patre ipsis notificanda quę sequuntur, et quę notificavit post resurrectionem, melius respondet S. Aug., tract. 86 in Joan., quod *est nota feci, debeat intelligi: Nota feci, et facturus sum eodem ferē sensu quod dicitur Psal. 21: Foderunt manus meas, pro, fossuri sumi.*

#### QUESTIO III.

De qua claritate loquitur Christus Joan. 17, v. 24.

Loco citato ita loquitur Dominus: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* Hęc est an Christus loquitur de claritate nature divine an humane.

Resp. et dico 1<sup>o</sup>: Loquitur Dominus de claritate nature divine.

Probat, quia loquitur de visione beatificā, nam dicit: *Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum: ut videant claritatem meam, id est, gloriam meam, in cujus visione beatitudo consistit; atque beatitudo consistit in visione nature divine; ergo, etc.*

Dices: Christus loquitur de claritate quam Pater illi dedit, quia dilexit eum: atque Pater non dat Filio claritatem divine nature, quia illum diligit, sed quia illum gignit; ergo non loquitur de claritate divine nature.

Resp. Neg. conseq. Nam *est quia dilexisti me non est referendum ad claritatem meam, quam dedisti mihi; sed ad est volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum: ut videant claritatem meam.* Id est, volo, vel summē desidero, ut electos amicos meos eternā beatitudine dones, quia me dilexisti ab eterno. Ideo ergo, quia dilexisti me ab eterno, cupio ut illis qui me diligunt, et quos ego diligo, ostendas claritatem meam, quam mihi dedisti.

Dico 2<sup>o</sup>: Potest etiam intelligi claritas utriusque nature divine scilicet et humane per unionem hypostaticam copulate, hoc sensu: *Ut videant claritatem meam, seu gloriam meam, quam dedisti mihi, naturam meam divinam cum naturā humanā in eodem supposito*

copulando; quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Videant ergo me Deum esse et hominem, et gloriam habere, tum divinitatis, tum humanitatis cum illā copulate, excellentissimam. Nam autē mundi constitutionem et ab eterno decrevit Deus incarnationem; hujus verō tantę glorię causa fuit maximus amor, non merita: neque enim Christus, antequam naturam humanam assumpsisset, potuit habere merita, ut ex S. Augustino, Enchirid. cap. 56, docent theologi in tractatu de Incarnatione.

#### CAPUT XXVI.

Prolixo sermone finito, Christus cum undecim apostolis ivit trans torrentem Cedron ad montem Oliveti, et introiit in hortum Gethsemani. In hęc autem horto morere et horrore mortis afflicto, et angustatus, sudavit sanguinem. Deinde osculo Jude proditus, ac à satellitibus principum sacerdotum captus, ductus est ad Annam primum, cujusque mox misit Annas ligatum ad Caipham, coram quo examinatus, alapa percussus, et condemnatus fuit. Interim Petrus, qui ipsum in domum Caiphe secutus fuerat, ibidem tertio ipsum negavit, Matth. 26 à v. 50 usque ad finem capituli; Marc. 14, à v. 26 usque ad finem capituli. Item Luca: 22, à v. 39 usque ad finem capituli; ac Joan. 18, à v. 1 usque ad 28.

#### QUESTIO PRIMA.

An Christus mortem timuerit, et sanguinem sudaverit.

Resp. affirmativē. Probat, prima pars ex Matth. 26, v. 58, ubi dicit discipulis suis: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et Marci 14, v. 33, dicitur: *Et cepit pavere et tædere.* Item verba orationis: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, aperit timorem mortis indicant.*

Dices: S. Hilarius, lib. 10 de Trinit., dicit: *An ratione subsistit ut mori timerit, qui omnem ab apostolis timorem propellens, ad gloriam eos est adlocutus martyrii?* Item D. Hieron., in cap. 26 Matth., ait: *Erubescant qui putant Salvatorem timuisse mortem, et passionis pavore dixisse: Pater, transeat à me calix iste.* Ergo juxta hos SS. Patres Christus non timuit mortem.

Resp. Neg. conseq. Quia Patres illi intelligendi sunt de timore coacto, qualis solet esse timor hominum; talis enim timor nullum in Christo habuit locum: nam sicut spontē suscepit mortem, ita eodem spontē suscepit horrorem, qui est mortis socius. Nihil in Christo coactum consideratur, ait Damascenus, lib. 3 de Fide, cap. 20, *sed omnia voluntaria, volens fame et siti, volens metui, volens morte afflicto est.*

Probat, secunda pars, nempe quod Christus in horto verum sudaverit sanguinem, 1<sup>o</sup> quia Lucas, cap. 22, v. 44, dicit: *Et factus est sudor ejus sicut gutte sanguinis decurrentis in terram.*

Prob. 2<sup>o</sup> ex SS. Patribus. Augustinus, lib. 3 de Cons. evangelist., cap. 4, ait: *Dixit sanē (Lucas) quod isid tuerant, et orantem ab angelo confortatum, et prolixius orantem sudorem fuisse sanguinem, et guttas de-*

currentes in terram. Idem affirmat Irenæus, lib. 3, cap. 52, Justinus in dialogo cum Tryphone, Ilierius, lib. 10 de Trinit., et Hieron., lib. 2 adversus Pelagianos, dicens: *Tam vehementer Salvator orabat, ut gutte sanguinis prorumperent.* Item S. Chrysost., hom. 64 in Matth., dicit Christum emisisse sudorem sanguineum, ne heretici dicerent quod tristitiam simulaverit.

Obj. 1<sup>o</sup>: Præcitatus Lucae textus non est pars Scripturę sacrę: nam in multis codicibus tum Græcis, tum Latinis deest, ut testatur S. Hilarius, lib. 10 de Trinit., dicens: *Ne sanē ignorandum nobis est, et in Græcis, et in Latinis codicibus quamprimum, et vel de adventu angelo, vel de sudore sanguineo et nihil scriptum reperiri.* Idem testatur D. Hieron., loco supra citato.

Resp. Neg. assumpt. Nam, quamvis illi Patres dicant id in multis exemplaribus non haberi, non negant tamen debere haberi; sed admittunt tanquā veram partem Scripturę; ut patet ex S. Hieron. supra citato, et ex S. Hilario infra citato.

Inque cum arguuntur propositum sit parē negaturum, inde non magis concludi potest quod historia de sudore sanguineo non sit pars Scripturę, quā verba Lucae 19, v. 41, ubi legitur: *Videns civitatem flevit super illam, non sicut pars ejusdem.* Nam ut S. Epiphanius in Ancherato, num. 21, recolligit, in multis codicibus non habebatur illa particula: *Flebit super illam*, quas tamen ipse ibidem dicit haberi in correctioribus codicibus; et ad profundum quod ista particula sint pars Scripturę, adducit auctoritatem S. Irenęi, quod locum istum habet, lib. 4 contra hæreses, cap. 21. Putat autem S. Epiphanius illas particulas ex quodam scrupulo esse omissas ab aliquo Christiano, qui putabat quod flere esset indignum Christo.

Idem ergo potuit hæc fieri ab illis qui putabant indignum esse Christo, ad eundem timorem mortem et sudorem sanguinem. In hæc opinione videtur fuisse S. Hilarius: Nam videns Scripturam habere quod Christus verē sanguinem sudaverit, mavult admittere miraculum, quā naturalem anxietatem usque ad sudorem sanguinis: Dicit enim, lib. 10 de Trinit.: *Sudorem Christi nemo infirmitati audebit deputare, quia contra naturam est sudore sanguinem. Nec infirmitas est quod potestas non secundum naturam consuetudinem gessit.*

Obj. 2<sup>o</sup>: Evangelista Lucas non dicit quod sudor Christi esset sanguis, sed quod esset sicut gutte sanguinis decurrentes in terram. Per quę verba significatur quod foret similis guttis sanguinis; puta, quia gutte sudoris erant crasse, et tardē cadebant, sicut gutte sanguinis sunt plerumque crasse, et tardē cadunt in terram. Unde Euthymius dicit: *Significat evangelista, non quod sanguinem sudaverit, sed quod crassos eduxerit Dominus sudores.*

Resp. Neg. assumpt. Quia particula sicut hæc potest significare rei veritatem, sicut particula, quasi; Joan. 4: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti, id est, verē unigeniti.*

Potest etiam particula sicut significare similitudinem hoc modo: Factus est sudor ejus sanguineus similis guttis, et alapa guttatim decurrebat. Unde apud S. Irenæum, lib. 3, cap. 52, legitur sudasse Christum globos sanguinis.

Potest etiam particula sicut significare Christum non sudasse solum sanguinem, sed etiam humoribus permixtum, hoc modo: Factus est sudor ejus, non merus sanguis, sed similis crassis guttis sanguinis; quia sanguine erat permixtus.

Dico igitur finaliter eum Jansenio Gandensi non sic accipiendi præcitata Lucae verba, quasi dicere voluerit Dominum emisisse sudorem similem guttis sanguinis, ut ipse tamen sanguis non fuerit: nam si hoc significare voluisset, non erat ratio cur sanguinis potius quā aliarum rerum liquidarum guttas meminisset. Ideo igitur mentit sanguinis in terram decurrentis, quia significare voluit sudorem decurrisse sanguineis guttis; idque adeo copiosē, ut in terram à Domino defluerent, cum positus genibus Patrem suppliciter oraret.

Obj. 3<sup>o</sup>: Non est naturaliter possibile ut homo sudet sanguinem; ergo ille sudor non fuit sanguineus.

Resp. Neg. ant. Nam hoc esse naturaliter possibile, docent medici longā dissertatione apud Calmei. Idem docet Aristoteles, lib. 5 de Historia animalium, cap. 19. Refert etiam Maldonatus, in cap. 26 Matth., quod Parisiis homo robustus et benē valens, audita contra se mortis sententia, sudore sanguineo fuerit persusus. Plura similia exempla narrat alii. Dicit itaque optimē potest quod sudor ille sanguineus in Christo fuerit naturalis, quia proveniebat ex incomprehensibili tristitia et anxietate, quā cor ejus, non quidem coactē, sed spontē, ut supra refleximus, erat oppressum.

#### QUESTIO II.

Ubinam contingerit negationes Petri, et alape inflectio.

Dicit evangelista Joannes, cap. 18, v. 15, quod Christus ex horto deductus fuerit ad Annam, quod dicitur primam negationem Petri, postea interrogationes pontificis, responsum Christi, et inflectionem alape: et tunc statim subdit v. 24: *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.* Immediatē post subnecit duas alias negationes Petri: *Et statim, ut prosequitur evangelista, v. 27, gattus cantavit. V. 28: Adhuc ergo Jesum à Caipha in prætorium.*

Ex hoc narrationis ordine videtur sequi quod prima Petri negatio, et alape inflectio contingerit in domo Annę; atque ita nonnulli antiqui putaverunt. Et quidem S. P. Aug. censet tres Petri negationes, et alape inflectionem conficisse in domo Annę. Nam tract. 115 in Joan. ita scribit: *Et cum dixisset evangelista quod cum ligatum miserat Annas ad Caipham, et reversus est ad locum narrationis, ubi reliquerat et Petrum, ut explicaret quod in domo Annę de trina et ejus negatione contigerat.* Item, lib. 3 de Cons. evang., cap. 6, ait: *Et Joannes incipit Petri negationem dicere, et interponit quadam de contumeliis Domini, et adjungit quod inde missus est ad*



Caipham pontificem; et inde recapitulat ut explicet quam cooperat tentationem Petri in domo quò primò adductus est, et redit ad ordinem, ubi ostendit quemadmodum ductus sit Dominus ad Caipham. » Et infra: « His diebus in Domine verbis, quæ habentur Joan. 18, v. 24 ), Joannes redit ad id quod creperat de negatione Petri; id est, ad eandem domum, ubi gesta sunt quæ narravit, et unde ad Caipham missus est Jesus, ad quem ab initio ducebatur, sicut dicit Mattheus. Commemoravit autem ista Joannes, quæ interposuit, recapitulans de Petro, et ad eam narrationem rediens, ita dicit, ut compleat trinam negationem. »

S. Thomas, lect. 5 et 4 in cap. 18 Joan., etiam docet quòd saltem prima negatio Petri, et alape indicio acciderint in domo Annæ. Cajetanus, teste Barradio, putat Petrum septies negasse Christum; partim in domo Annæ, ut scribit Joannes, et partim in domo Caiphæ, ut narrat tres alii evangelistæ. Euthymius verò putat Annam et Caipham habitasse in eadem domo, et sic die posse à Joanne quòd tres Petri negationes contigerint in domo Annæ, et ab aliis evangelistis quòd contigerint in domo Caiphæ. Interim his omnibus non obstantibus, ad questionem propositam,

Resp. et dico: Tres Petri negationes et alape indicio contigerint in domo Caiphæ.

Probo 1<sup>o</sup> quia tres alii evangelistæ, nempe Lucas, et Marcus, et præsertim Mattheus, apertè habent quòd Petrus Dominum tertio negaverit in domo Caiphæ: atqui non negavit sæpius quàm ter, ut patet ex quest. seq.; ergo, etc.

Probo 2<sup>o</sup> Joannes apertè dicit omnia illa contigisse in domo pontificis; atqui Caiphas erat pontifex, et non Annas, ut idem evangelista apertè dicit cap. 18, v. 15: *Adduxerunt eum ad Annam primum; erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.* Et cap. 11, v. 49: *Caiphas cum esset pontifex anni illius.* Et v. 51: *Cum esset pontifex anni illius, prophetavit.* Ergo, etc.

Probo maj., quia dicit cap. 18, v. 15: *Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Jesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris.* V. 19: *Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis.* V. 22: *Sic respondes pontifici?*

Obj. 1<sup>o</sup>: Joannes postquam dixit Christum interrogatum de discipulis et doctrinâ, et alapâ percursum, Petrumque negasse semel, statim subjicit hæc verba: *Et misit eum Annam ligatum ad Caipham.* Ergo quæ ante hæc verba narravit in domo Annæ facta sunt, non in domo Caiphæ.

Resp. Neg. consequi, quia loco citato ponitur, *misit, pro, miserat.* Sæpè enim in Scripturâ veteris Testamenti ponitur præteritum perfectum pro plus quàm perfecto, quia hoc caret Hebræi, ad Gen. 2, v. 13, item 51, v. 54; Exod. 4, v. 19; Baruch 1, v. 9; Jonæ 1, v. 5, etc. Idem contingit in novo Testamento, quia quando Græcè ponitur in aoristo primo, prout citato loco Joan. ponitur verbum, *misit*, indifferens est ut intelligatur positum in perfecto, vel in plus quàm

perfecto. Sic Joan. 18, v. 26, ponitur, *abscedit, pro abscederat*; Act. 7, v. 16, habetur, *emit, pro, emerat*, et ibidem et 5, ubi nos habemus: *Repromisit*; textus Syriacus habet: *Pollicitus fuerat.*

Dico itaque quòd Joannes præciata verba subjicit ad significandum, non tantum duas ultimas negationes Petri, sed etiam primam contigisse in domo Caiphæ; quasi diceret: Hæc quæ narrata sunt, in domo Caiphæ contigerunt; nam Annas ligatum Dominum miserat ad Caipham pontificem. Unde ulterius istis verbis insinuat Joannes Christum tantum transiit ad Annam ductum fuisse, et ibidem ferè nihil circa ipsum actum fuisse, eò quòd Annas, quia non erat summus pontifex, nihil valeret de Christo statuere, sed ad pontificem Caipham protinus iudicandum miserit.

Obj. 2<sup>o</sup> auctoritatem S. Augustini supra allegatam.

Resp. S. Augustinum ita debuisse sentire, quia habebat codicem vitiosum: nam ubi moderni codices habent Joan. 18, v. 28: *Adducit ergo Jesum ad Caipham in prætorium*, id est, in domum Pilati, codices Augustini habent: *Adducit ergo Jesum ad Caipham in prætorium*; nam tract. 114 in Joan. Scripturam citat hoc modo: *Adducit ergo Jesum ad Caipham in prætorium.* Ex quibus verbis ita ibidem discurrit S. doctor: « Ad Caipham quippe ab Annâ collegâ et socio eorum dixerat (evangelista Joannes) missum.

Sed si ad Caipham, cur in prætorio? Quod nihil aliud vult intelligi quàm ubi præses Pilatus habitabat. Aut igitur aliquâ urgente causâ de domo Annæ, quò ad audiendum Jesum amò conveniant, Caiphas perrexit ad domum præsidis, et socio suo Jesum reliquerat audiendum: aut in domo Caiphæ prætorium Pilatus acceperat, et tanta domus erat, et ut seorsum habitantem dominum suum, seorsim judicem ferret. » Cùm igitur Augustinus in suis codicibus non inveniret Christum examinatum, etc., in prætorio à Judæis, sed tantum à Pilato, necessariò debuit concludere examinatum, alapâ percursum, et à Petro ter negatum fuisse in domo Annæ: et Joannes per pontificem etiam intelligere Annam; quia licet hic non esset summus pontifex, erat tamen unus ex summis sacerdotibus, seu ex simplicibus pontificibus. Aterò eum vera et genuina Scriptura non habet: *Ad Caipham in prætorium*, sed: *A Caiphâ in prætorium*, omninò ex opposito inde concludendum et inferendum est; nempe Christum non in domo Annæ, sed in domo Caiphæ examinatum, alapâ percursum, et ter à Petro negatum fuisse. Et hæc dubie etiam ita ex verbis Scripturæ Augustinus conclusisset, si nostros codices habuisset.

Petes quis fuerit ille discipulus notus pontifici, qui, ut Joannes ait, introduxit Petrum.

Nonnulli existimant fuisse Joannem evangelistam, eumque pontifici charum fuisse ob generis nobilitatem. Sed hæc opinio non subsistit; nam cum juxta Evangelium Joannes piscator fuerit, non videtur fuisse nobilis; deinde Joannes ab initio semper secutus est Christum; adeoque non fuit pontifici, jurato Christi

hosti, ita familiaris ut on ejus respectum ancilla ostiaria intromisisset Petrum. Probabilis igitur est fuisse aliquem spectabilem virum Jerosolymitanum, qui erat discipulus Christi, sed occultus propter metum Judæorum; quales etiam fuerunt Nicodemus, Joseph ab Arimathea et alii.

#### QUÆSTIO III.

Quomodo negationes Petri contigerint: et quomodo Christus eum respexerit.

Cùm evangelistæ negationes Petri ita diversimodè narrent, ut videantur plures quàm tres fuisse, illarum ordinem hic subjiciemus, et eo modo disponemus, quo S. P. Aug., lib. 3 de Cons. evangelist., cap. 6, easdem disposuit.

Petrus ingressus atrium pontificis immisit se servis et ministris, et sedens ad ignem calefactus se. Tunc ancilla ostiaria, quæ ipsum intromiserat, cùm illum benè respexisset, et ad lumen fuisset intuita, ut habet Lucas, interrogavit eum, ait Joannes, dubitans: *Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius?* Deinde idem confirmavit, secunduam Mattheum et Marcum, dicens: *Et tu cum Jesu Galilæo eras.* Secunduam Lucam verò: *Et hic cum illo erat.* Tunc Petrus primâ vice negavit, et mentibus sed dicens se Christum non novisse.

Mox Petrus timore percussus exivit foras, non extra domum, sed ante atrium, ut habet Marcus. Tunc galus primum cantum edidit, quem Petrus fortè non audivit, aut non satis reflexit, aut non est recordatus prædictionis.

Tunc ergo exante illo *joanem*, ut dicit Mattheus, *vidit eum alia ancilla*, quæ dixit circumstantibus: *Et hic erat cum Jesu Nazareno.* Petrus autem mox reversus est in atrium, vel ne videretur fugisse, vel frigoris impatiens, vel ut videret quid de Christo fieret. *Pestemquam ergo Petrus rediit*, ait S. Aug., loco supra citato, *dixerunt ei ancilla, et ille alius, quem Lucas commemorat: Nunquid et tu ex discipulis ejus es?* Joan. 18, v. 25. Fortè etiam idem dixerunt quidam alii circumstantes. Tunc Petrus pro secunda vice negavit et quidem cum juramento, ut ait Mattheus.

Et post pusillum, inquit Marcus, id est, intervallo facti quasi horæ unius, ut ait Lucas, alius quidam affirmabat, dicens: *Verè et hic cum illo erat: nam et Galilæus est.* Hunc secuti sunt alii qui astabant, ut habent Mattheus et Marcus, et dixerunt: *Verè et tu ex illis es: nam et loquela tua manifestum te facit.* Ille verò alius, seu unus, de quo loquitur Lucas, juxta S. Augustinum, probabiliter fuit cognatus Malchi, qui, ut refert Joan. es, dixit: *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* Post hæc autem interrogationem, quæ ab illo uno, et ab aliis astantibus facta est, Petrus pro terâ vice negavit; et, ut dicit Mattheus, *cepit detestari, non ipsum Christum; sed ut habet textus græcus, et etiam Marcus, anathematizare, et jurare: quia nescio hominem istum quem dicitis.* Incipit itaque seipsum execrari, sibi mala imprecari, v. g.: *Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat*, alaque similia juramenta imprecatoria pronuntiare; et sic tam imprecatorio quàm assertorio juramento affirmavit se non novisse istum

hominem. His à Petro dictis, imò *adhuc illo loquente cantavit galus*, ut dicit Lucas, cap. 22, v. 60.

Pergit Lucas, et subjungit, v. 61: *Et conversus Dominus respexit Petrum.* Cùm tunc Petrus esset infra foris, in atrio dorsum, ut habet Marcus, ubi erant famuli; Christus verò foret supra intus in concilio, ubi erant principes sacerdotum et seniores congregati cum pontifice, dicendum est quòd Dominus non corporalibus, sed spiritualibus misericordie suæ oculis Petrum respexerit; ut docet S. P. Aug., lib. 5 de Cons. evangelist., cap. 6, item lib. de Gratâ Christi, cap. 45, ubi explicans energiam, et virtutem intrinsicam gratiæ efficacis hujus statûs nature lapsæ, et ostendens quòd non tantum movet, sed etiam infallibiliter producat effectum, ita loquitur: « Quod scriptum est: *Respexit eum Dominus*; intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordiâ Dominus latenter subvenit; cor tigit, memoriam recitavit, interiore gratiâ suâ visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit et produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus et actionibus nostris: ecce quemadmodum et velle et operari operatur in nobis. » Quòd Dominus spiritualibus oculis respexerit Petrum, etiam docent S. Ambros., lib. 10 in Lucam; Leo, serm. 5 de Passione; Beda et plurimi alii.

Obj. 1<sup>o</sup>: Christus dicitur conversus, dim Petrum respexit; atqui non est conversus spiritualiter, quia non erat animo aversus à Petro; ergo conversus est corporaliter ipso vultu.

Resp. Neg. consequi. Nam, licet non esset animo aversus à Petro, in quantum non omne internum auxilium ei subtraxerat, seu illum non penitus deseruerat; tamen, hoc obstante, rectè dicitur conversus esse spiritualiter ad Petrum, quia dedit ipsi auxilium efficacis, ut de peccatis perpetratis doleret; et atque ita misericorditer Dominus respiciente peniteret eum, et salubriter floret, sicut quotidie dicimus: *Domine, respice in me...* Et sicut dictum est: *Respice et exaudi me, et convertere, Domine, et libera animam meam;* et ita dictum arbitror: *Conversus Dominus respexit Petrum*, inquit S. Augustinus, loco supra citato, de Cons. evangelistarum.

Obj. 2<sup>o</sup>: Potuit Christus Petrum respicere per fenestram, unde in atrium patebat prospectus, ut dicit Tiranus; vel potius, ut putat à Lapide, in cap. 26 Matth., tunc dissolutum erat concilium, et Christus relictus erat in manibus militum, et ab ipsis fortè reducebatur in atrium inferius, ubi erat Petrus.

Resp. ista omnia non esse nisi meras conjecturas. Deinde Christus erat tam arctè ligatus, et hostibus adeò circumseptus, ut non potuerit respicere per fenestram et hoc præsertim de nocte. Deinde non est verò simile quòd famuli et ancillæ, cum quibus erat Petrus in atrio dorsum, ut dicit Marcus, haberent liberum aspectum in atrium superius, sive in atrium concilii pontificis.

Quòd autem, finito concilio, Christus fuerit ductus in atrium inferius, ex Evangelio nequaquam colligi-



tur, sed potius contrarium: nam Matthæus et Marcus habent quòd pronuntiata sententiâ: *Reus est mortis*, coeperint ipsum conspuere, faciem ejus velare, etc., quòd videntur fecisse in eodem loco, aut saltem in loco ubi Petrus non erat: *Petrus enim sedebat foris*, inquit Matthæus, cap. 26, v. 69.

QUESTIO IV.

Quandam cætera contigerint, quæ in domo Caiphas acta sunt.

Resp. et dico: Satis certum est quòd trina negatio Petri contigerit ipsâ nocte quâ Christus captus est; nam absoluta fuit, antequam gallus secundò cantavit; sed dubium est an falsa testimonia adversus Christum adducta, an adjurata à Caipha facta, etc., contigerint illâ nocte, an postridiè manè.

Ratio dubitandi est quia Matthæus et Marcusarrant illa ante negationem Petri, et quidem dicit ex contigisse manè: nam cap. 22, v. 66, ita habet: *Et ut factus est dies, conveniunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et scribæ, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis.*

Ad hoc dubium à Lapide, in cap. 26 Matth., v. 66, respondet hoc modo: Nonnulli putant hæc contigisse post negationem Petri, transactâ nocte, manè sequentis diei. Id enim videtur dicere Lucas, cap. 22, v. 66. Idem enim hoc esse examen Matthæi cum illo Lucæ appareat, si quis utrumque conferat. Quare censent hic in Matthæo esse hystero-logiam; omnia enim à v. 59 hucusque dicta esse per anticipationem, ac ponenda cap. seq., v. 1. Ita S. August., lib. 5 de Cons. evangelist., cap. 7, Maldonatus et aliiq. alii.

Melius sentiunt alii cum Jansenio hæc omnia à Matthæo recto ordine poni, ac statim post captivitatem Christi, paulò post mediam noctem, statim ut Christus captivus adductus est ad Caipham contigisse. Duplex enim fuit concilium principum contra Christum, ac bis in concilio Christus rogatus et examinatus fuit an ipse esset Christus; scilicet primò nocte, de quo hic; secundò postero manè, de quo Lucas, cap. 22, v. 66. Nocte enim post Christi examen et confessionem facta est illusio et colaphizatio Christi, de qua versus sequenti, ut patet ex aliis evangelistis. Verùm quia nocte non omnes senatores aderant, hinc rursum Caiphas coegit concilium generale, ad quod omnes convocavit, ut ab eo Christus damnaretur. Unde in eo Christus quasi pertinax, blasphemus et reus majestatis tan divinx, quòd se filium Dei dixisset, quam humanam, quòd se Christum regem asserisset, omnium voce damnatus, ac Pilato presidi traditus est, ut reipsâ ejus damnaret et in crucem ageret. Manè ergo fuit concilium magnum, ut ait Marcus (cap. 15, v. 1), id est, summum quod *Senedrim* dicebatur. Ita à Lapide.

Ordo rei gesta: hic ab à Lapide descriptus videtur veras, et valde naturalis, scilicet quòd Christus fuerit de nocte interrogatus, accusatus, etc., utarrant Matthæus et Marcus, et manè iterum de novo (fortè majori concilio convocato) interrogatus et condemna-

tus, ut narrat S. Lucas. Sed verum non est quòd S. Augustinus sit illi ordini contrarius; nam verba ejus loco ab à Lapide citato sunt hæc: *Nocte intellegimus per falsos testes actum esse cum Domino, et quòd breviter commemoraverunt Matthæus et Marcus, Lucas tacuit, qui enarravit quæ circa manè gesta sunt.*

CAPUT XXVII.

Christus à concilio Judæorum jam condemnatus, à domo Caiphas ducitur ad prætorium Pilati. Quod videns Judas, et culpam agnoscens, fletur coram principibus sacerdotum se tradidisse sanguinem justum, et, projectis argenteis in templo, laqueo se suspendit. Judei autem Christum de variis apud Pilatum accusant. Pilatus vero, licet multum laborasset, ut innocens Dominum à morte liberaret, tandem nimis vexatus, et quasi invitatus sententiam mortis in Christum tulit. Matth. 27, à v. 1 usque ad 27; Marci 15, à v. 1 usque ad 16; Lucæ 23, à v. 1 usque ad 26; Joan. 18, à v. 28 usque ad v. 47 cap. 19.

QUESTIO PRIMA.

Quandam Judas se suspendit.

Resp. et dico: Judas vero similis se suspendit illo die manè; quo Christus Dominus Pontio Pilato à Judæis traditus fuit.

Prob. ex contextu Evangelii Matth. 27, v. 2, ubi ita habetur: *Et trinctum adduxerunt cum (Jesum) et tradiderunt Pontio Pilato præditi. V. 5: Tunc vidit Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset... renitit triginta argenteos principibus sacerdotum. Ex quibus verbis manifestum est quòd Judas retulerit triginta argenteos, dum vidit Jesum traditum esse Pontio Pilato; atque ex versu 4 et 5 etiam manifestum est quòd statim dum principes sacerdotum argenteos recipere volebant, eosdem in templo projecit, et tunc desperandus abierit, ac laqueo se suspendit; ergo se suspendit eodem manè quo Christus Pontio Pilato à Judæis traditus fuit.*

Confirmatur. Evangelista non dicit: *Tunc vidit Judas quòd mortuus esset*, nempe Christus, sed: *quòd damnatus est*, sive condemnatus à principibus sacerdotum, utpote jam Pilato traditus; ergo ex toto contextu evidens videtur quòd Judas se suspendit, dum vidit sen novit quòd Christus in concilio principum sacerdotum declaratus esset reus mortis, et ductus ad Pilatum, ut hic sacerdotum sententiam suâ sententiâ et executione ratam faceret.

Prob. 2<sup>o</sup> ex S. P. Aug., in Psal. 408, ad illa verba: *Fiant dies ejus pauci*, dicente: *Pauci fuerunt dies apostolatus Judæ, quoniam ante passionem Domini scelerè ipsius, et morte consumpti sunt.* Item S. Leo, serm. de Passione, dicit: *Prins Judas in desperationem transiit, quia Sacramentum Christus generalis redemptionis impleverat.*

Obj. 1<sup>o</sup>: Matthæus dicit quòd Judas retulerit triginta argenteos ad principes sacerdotum, et deinde eosdem projecit in templo; atqui hoc non fecit eodem manè

quo Christus traditus est Pilato; ergo nec eodem manè se suspendit.

Prob. min., quia principes sacerdotum non erant tunc in templo: nam erant nimium occupati prosequendo mortem Christi coram Pilato, ut patet ex toto contextu Evangelii; ergo, etc.

Resp. Neg. min. ac consequ. et ad ejus probationem dico Matthæum non asserere quòd Judas adierit principes sacerdotum existentes in templo; potuit enim ipsos alibi congregatos alivisse, et responsa eorum in desperationem actus accurrisse ad templum, et ibi ante pedes ministrorum templi velut in gazophylacium reponendos, argenteos projecisse.

Fieri etiam potuit, ut ex principibus sacerdotum et senioribus aliqui, ob necessitatem sacrificiorum, relicto concilio, in quo de Jesu perdendo tractabatur, ad templum abierint, apud quos acta sint, quæ de Judâ hic narrantur. Ita Estius.

Obj. 2<sup>o</sup>: Dicit evangelista consequenter quòd illa pecunia emerit agrum figuli; atqui inde non sepulcrum quòd emerit eodem die; ergo, etc.

Resp. Neg. consequ. Disparitas est quòd emptionem agri tantum narret per quandam connexionem quam habet cum præcedentibus: unde etiam si Judæ suspendium narret post resurrectionem Christi, adhuc non sequeretur quòd eodem die quo Judas se suspendit, emptus fuisset ager figuli. Alverò in nostro casu dat rationem cur Judas desperaverit, scilicet quia videbat Christum esse condemnatum: quæ ratio locum non habuisset, si tantum post mortem Christi desperasset.

QUESTIO II.

An Matth. 27, v. 9, recte citatur Jeremias.

Postquam Matthæus narrasset quòd principes sacerdotum noluerint triginta argenteos, à Judâ in templo projectos, mittere in carbonem, seu in gazophylacium, eò quòd esset pretium sanguinis, statim subjungit quòd ex illis emerit agrum in sepulturam peregrinorum; et deinde addit: *Tunc impletum est quòd dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appetiati, quem appetiaverunt à filiis Israel; et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Verba ista apud Jeremiam nusquam leguntur, sed inveniuntur apud Zachariam, cap. 11, v. 12. Unde putaverunt aliqui nomen Jeremix ab initio non fuisse positum, quia plures codices Græci nomen Jeremix non habent, sed tantum simpliciter: *Quod dictum est per Prophetam*, qui utique intelligitur Zacharias. Verùm hanc solutionem non approbat S. P. Aug., lib. 5 de Cons. evangelist., cap. 7, dicens: *Sed utatur istâ defensione, cui placeat; mihi cur non placeat hæc causa est, quia et plures codices habent Jeremix nomen; et qui diligentius in Græcis exemplaribus Evangelium consideraverunt, et in antiquioribus Græcis ita se perhibent invenisse; et nulla fuit causa cur adderetur hoc nomen, et mendositas fieret. Cur autem de nonnullis codicibus tolleretur, fuit utique causa, ut hoc autâ in veritâ faceret, cum turbaretur quæstio, quòd*

(hoc testimonium apud Jeremiam non inveniretur.)

Deinde dat illam ipse ibidem solutionem, scilicet quòd dicitur Jeremias pro Zacharia, ut informaret nos Dominus, et tantam verborum suorum inter prophetas esse concordiam, ut non absurde, quòd congruentissimè etiam Jeremix deputaremur pro Zachariam dicitur reperiremus. Si enim hodie quisquam volens alicujus verba indicare, dicat nomen alterius, et à quo dicta sunt, qui tamen sit amicitissimus et familiaritate conjunctissimus illi, cujus verba dicere voluit; et continuò recordatus illum pro alio se dixisse, ita se colligit atque corrigat, ut tamen dicat: *Bene dixi; quid aliud intrens, nisi tantam inter amicos esse concordiam; inter illum scilicet, cujus verba dicere voluit, et alium cujus ei nomen pro filius nomine occurrit, ut tale sit hoc istum dixisse, quæ si ille dixisset? Quanto magis de prophetis sanctis intelligendum et maxime commendandum fuit, ut omnium libris tanquam unum unum librum acciperemus: in quo nulla verum discrepantia crederetur, sicut nulla inveniretur, et in quo major esset constantia veritatis, quam si omnia ista unus homo quamlibet doctissimus loqueretur?*

Interim hinc solutio non inharrens subjungi unam aliam, dicens: *Est et alia causa cur hoc nomen Jeremix in testimonio Zachariæ sit manere permisissum, vel potius sancti Spiritus auctoritate præceptum sit. Est apud Jeremiam quòd emerit agrum à filio fratris sui; et dederit ei argentum, non quidem sub hoc nomine pretii, quòd positum est apud Zachariam, triginta argenteis, verumtamen agri emptio non est apud Zachariam. Quod autem per prophetiam de triginta argenteis ad hoc interpretatus sit evangelista, quò modo de Domino completum est, ut hoc esset pretium ejus, manifestum est; sed ad hoc pertinere etiam illud de agro empto, quòd Jeremias dicit, hinc potuit mysticè significari, ut non hic Zachariæ nomen poneretur, qui dicit triginta argenteis, sed Jeremix; qui dicit de agro empto, ut lecto Evangelio, atque invento nomine Jeremix, lecto autem Jeremix, et non invento testimonio de triginta argenteis, invento tamen de agro empto, ad remoneatur lector utrumque conferre, et inde sensum et enodare prophetie, quomodo pertinet ad hoc quòd in Domino impletum est. Hæc ultima Augustini solutio omnium videtur optima: unde*

Resp. et dico: Matthæus loco præcitato referi sensum Scripture, quem desumpsit partim ex Jeremix et partim ex Zacharia. Unde cum Zacharias, cap. 11, de pretio mentionem faciat, nihil de agro empto, vel de eo quòd istud Dominus constituerit; Jeremias vero, cap. 32, nihil de pretio appetiati, sed de agro empto, et quòd hoc esset verum, id est, voluntas et constitutio Domini; Matthæus utrumque prophetiam in unam conjungit, et uni prophete attribuit quòd ex duobus desumpsit.

Probat, quia juxta S. Hieron., in cap. 5 Malachiæ, Marcus, cap. 1, duo testimonia, Malachiæ scilicet et Isaia, sub unius prophete (nimium Isaie) sermone



contexit; id est, ubi attribuit quod duo scripserunt: ergo etiam dici potest quod Matthæus soli Jeremie attribuit, quod partim ex ipso, et partim ex Zachariâ desumpsit. Nam, ut bene reflectit Natalis Alexander in cap. 27 Math., illud usitatum est, ut cum verba aut testimonia duorum sunt, aut altero omissio, alter tantum nominetur; aut totum testimonium quasi unius tantum esse significetur. Prioris exemplum, inquit auctor mox citatus, est Marci 1, v. 2 et 5, ubi prior testimonii pars Malachie est, posterior Isaie; et tamen, omissio Malachiâ, unus nominatur Isaia: posterioris Math. 21, v. 5, ubi testimoniis duorum prophetarum connexis, dicitur tamen scriptum per prophetam. Quod de pretio hic dicitur, est ex Zachariâ, quod de agro empto, ex Jeremiâ. Ita Natalis Alexander.

Obj. 1<sup>o</sup>: Empio agri de quo agitur Jerem. 32, non fuit figura emptiois agri figuli, de quo agitur in Evangelio; ergo non videtur recte citari Jeremias.

Prob. ant., quia ager Jeremie emptus fuit septem stateribus et decem argenteis, ager verò figuli emptus est triginta argenteis; atqui triginta argentei, ut habet P. Bukentop in Dictionario scripturistico, faciunt triginta medios patacones nostrates; et septem stateres ac decem argentei tantum faciunt septedecim medios patacones: ergo, cum ager Jeremie multo minori pretio fuerit emptus quam ager figuli, non potuit illa emptio esse figura emptiois, de qua agitur in Evangelio.

Resp. Neg. ant. Nam factum Jeremie 32, ubi legitur agrum numerato pretio emisse, reverâ gessit quandam figuram illius, quod Math. 27 de emptioe agri figuli narratur. Quantum autem ad pretium attinet, dico circa hoc inter se non convenire auctores: nam de valore pecunie Judæorum hodieum ferè tot sunt sententiæ, quod capita. Interim dato quod ager Jeremie multo minori pretio fuerit emptus quam ager figuli, indè nihil sequitur contra resolutionem nostram, quia ad figuram non requiritur omnimoda convenientia cum re figurata. Sic omnes admittunt quod patriarcha Joseph, à fratribus venditus Ismaelitis, fuerit figura Christi à Judâ venditi principibus sacerdotum; et tamen de Joseph Gen. 37, 28, dicitur: *Vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis*, ubi tamen Christus fuit venditus triginta.

Deinde pretium agri figuli Matthæus non desumpsit ex Jeremiâ, sed ex Zachariâ; nam, ut supra diximus, utramque prophetiam in unam conjunxit, et unam prophetæ attribuit quod duo scripserunt. Videtur autem citasse Jeremiam potius quam Zachariam, quia ad intentum ejus magis faciebat emptio agri figuli in factio Jeremie præfigurata, quam ejus pretium in Zachariâ determinatum. Quemadmodum igitur Marcus, cap. 4, solum Isaia nominavit, quia hic clarior predicationem Joannis Baptiste descripsit, et consequenter prophetia Isaie magis ad ejus intentum faciebat quam prophetia Malachie; ita similiter ob eandem ferè rationem solum Jeremiam videtur citasse Matthæus, cap. 27.

Obj. 2<sup>o</sup>: S. Hieron., in cap. 27 Math., dicit evangelistam desumpsisse verba supracitata ex libro quodam apocrypho; nam ibidem ita scribit: *Legi nuper in quodam Hebræico volumine quod Nazarena sectæ mihi Hebræus obtulit, Jeremie apocryphum, in quo hæc ad verbum scripta reperi.* Ergo Matthæus citando Jeremiam, non respexit ad ejus factum de quo agitur cap. 32.

Resp. Neg. ant., quia S. Hieron. quidem hoc refert, sed non admittit, è contra illud totum rejicit, dum statim subjungit: *Tamen mihi videtur magis de Zachariâ sumptum testimonium; evangelistarum et apostolorum more vulgato, qui verborum ordine prætermissis, sensus tantum de veteri Testamento præferunt in exemplum.* Non tamen his verbis negat S. Hieron. partim etiam ex Jeremiâ desumptum; quia magis non excludit autographum Jeremie, sed tantum illud apocryphum, de quo egerat.

Petes 1<sup>o</sup> quid non possit dici testimonium à Mattheo citatum, quoniam in Jeremiâ quidem fuisse, sed jam non amplius exstare, sicut non amplius exstant illæ descriptiones ejusdem Jeremie, de quibus fit mentio lib. 2 Machab., cap. 2.

Resp. negativè; nam, licet hæc solutio facile tollat difficultatem, quæ hic movetur, tamen quia sine ullo fundamento excogitata est, idè non videtur admittenda. Ac proinde resolutioni supra date adhaerendum potius esse puto, quam huic conjecturæ.

Petes 2<sup>o</sup> de quo sermone agatur Joan. 18, v. 32, ubi dicitur: *Ut sermo Jesu impleteret, quem dixit, si quis ficus quæ morte esset moriturus.*

Resp. cum Estio: Videtur intelligi sermo quem dixit Math. 20, ubi apostolis prædixit: *Et tradent eum (filium hominis) gentibus ad illudendum, flagellandum et crucifigendum.* Locum hunc ad marginem annotatum communiter habent Biblia. Quidam verba Joannis referunt ad illud, quod Christus apud hunc evangelistam, cap. 12, v. 32, dixit: *Ego, si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum.* Et hi dicunt Judæis non licuisse crucifigere, sed lapidare, et alio genere mortis afflicere secundum legem. Sed cum Judæi generaliter dixerint Pilato: *Nobis non licet interficere quemquam*, ipsorum verba quoque generaliter, seu de quocumque mortis genere intelligenda videntur, ut observat S. P. Aug., tract. 114 in Joan.

Ex eo autem quod Judæi Pilato dixerint se non habere potestatem quemquam occidendi, evenit ut sermo Christi impleteret, quem dixerat Math. 20, significans quæ morte esset moriturus. Nam, quod Judæi ad postulata Pilati noluerunt Christum secundum suam legem judicare, idè Pilatus tandem ab ipsis nimis vexatus sententiam mortis in Dominum tulit; et milites Romani eum crucifixerunt, et sic sermo quem Christus de suâ morte prædixerat, impletus fuit.

#### QUESTIO III.

An diabolus uxorem Pilati terrefecerit, an angelus.  
Dum Pilatus sedebat pro tribunali, ut refert Matthæus, cap. 27, v. 19, misit ad eum uxorem ejus dicens: *Nihil tibi, et justo tibi: multa enim passa sum hodie*

per visum propter eum. S. Cyprianus, serm. de Passione (si tamen hic sermo sit ipsius), Dionysius Carthusianus, Rabanus, et nonnulli alii existimant diabolum terreficere uxorem Pilati. Unde et ven. Beda in Math. dicit: *Hæc vice, non antea, se intellexit diabolus per Christi mortem nudandum, et spolia humani generis amissurum: idè satagebat per mulierem, et per quam spolia mortis invaserat, Christum eripere de manibus Judæorum.*

Meliùs tamen dicendum est cum S. Hieron., Chrysost., Hilario, Ambros., lib. 10 in Lucam, Barradio et aliis communiter, somnium hoc fuisse immissum à Deo, sive à bono angelo.

Prob. 1<sup>o</sup> quia diabolus paulò ante ignorabat Christum esse redemptorem mundi, dum scilicet misit in cor Juda, ut dicit Joannes, cap. 15, ut traderet eum: ergo hoc adhuc ignorabat; nam nullum omninò signum interesserat, ex quo ignorantiam suam deponere potuisset.

Prob. 2<sup>o</sup>, quia si diabolus voluisset liberare Christum, potius terreficisset Judæos quam uxorem Pilati, ut totum ab ipsis dependebat. Jam verò Judæos nullo modo terreficere, sed potius ad scelus instigare perrexit; ergo, etc.

Dices: Quare ergo Deus voluit terreficere illam mulierem?

Resp.: Ut daret testimonium innocentie Christi. Fortè etiam ut illam ad salutem provocaret. Unde Theophylactus dicit: *Providentiæ opus somnium factum, non ut absolvetur Christus, sed ut servetur uxor.*

#### CAPUT XXVIII.

Christus à Pilato mortè adjudicatus, ad montem Calvarie, crucem suis humeris gestans, perducitur, ibique inter duos latrones crucifigitur. Milites partuntur coram ipso vestimenta ejus. Populus verò spectans, pœnitentes et unus latronum è insultabant, varique exprobrabant. Interim dum hæc fiebant, ab horâ sextâ, quæ crucifigebatur, facta sunt tenebræ usque ad horam nonam, circa quam Christus mortuus fuit. Ipso autem mortuo, velum templi scissum est, et terra insolentiae stupendo motu concussa est, et monumenta aperta sunt, etc. Math. 27, à v. 51 usque ad finem capituli; Marci 15, v. 20 et seqq.; Lucæ 25, v. 26 et seqq.; Joan. 19, à v. 16 usque ad finem capituli.

#### QUESTIO PRIMA.

An milites super omnes Christi vestes miserint sortem.

Resp. negativè, quia sortem miserunt super solam tunicam, reliquas verò vestes dividerunt inter se, prout aperte constat ex Joan. 19, v. 25, ubi dicitur: *Milites ergo cum crucifixerant eum, acceperunt vestimenta ejus, (et fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem) et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, de super contexta per totum. V. 24: Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa unusquis sit. Ut Scriptura impleteret, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem.*

Ad hoc ulterius probandum, et argumenta in cons. S. S. XXIII.

trarium dissolvenda sufficiunt hæc verba Augustini, tract. 118 in Joan.: *Sic locutus est (evangelista) ut de ceteris vestimentis nullam sortem missam esse videamus, sed de tunica quam simul cum ceteris acceperunt, sed non similiter dividerunt... Apparet itaque in aliis vestibus æquales eos habuisse partes, et ut sortiri necesse non fuerit: in illa verò unâ non eos habere potuisse singulas partes, nisi scinderetur, ut pannos ejus inutiliter tollerent; quod ne facerent, ad unum eam pervenire sortitione maluerunt. Hucusus evangelistæ narrationi consonat etiam propheticum testimonium, quod et ipse continè subjungens: *Ut Scriptura, inquit, impleteret, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi; et super vestem meam miserunt sortem.* Non enim ait, sortiti sunt partiti; nec ait, sortientes partiti sunt; sed in ceteris vestimentis sortem omninò non nominans, postea dixit: *Et in vestem meam miserunt sortem*, propter illam reliquam tunicam. Hæc tenens S. Augustinus.*

Post hæc S. doctor, soluturus argumenta in oppositum, ita pergit: *Matthæus dicendo: Diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, ad totam divisionem vestimentorum voluit intelligi tunicam tunicam pertinere, de qua sortem miserunt; quia utique omnes vestes dividendo, in quibus et illa fuit, de ipsa sortiti sunt. Tale est etiam quod ait Lucas, *dividentes vestimenta ejus miserunt sortem*: dividentes enim venerunt ad tunicam, de qua facta est sortitio, et inter eos universa vestimentorum ejus divisio completeret. Quod autem interest utrum dicatur, *dividentes miserunt sortem*, quod ait Lucas; an *diviserunt sortem mittentes*, quod ait Matthæus; nisi quod Lucas dicendo *sortem*, pluraliter pro singulari numero posuit: quæ locutio Scripturæ sanctis in solita non est; quamvis nonnulli codices intereperantur habere, non *sortem*. Marcus itaque solus videtur aliquam intulisse questionem; dicendo enim, *mittentes sortem super eis, quis quid et tolleret*, tanquam super omnibus vestimentis, non et super sola tunica sors missa sit, locutus videtur. Sed etiam hic brevitatis obscuritatem facit: sic enim dictum est: *Mittentes sortem super eis*, ac si diceretur: *Mittentes sortem cum dividerentur*: quod et factum est. Omnium quippe vestimentorum ejus divisio completa non esset, nisi sorte clarisset quis etiam illam tunicam tolleret, ut sic contentio dividendum finiretur, vel nulla potius oriretur. Quod ergo ait: *Quis quid tolleret*, quandoquidem hoc sortem deputatur, non ad omnia quæ divisa sunt vestimenta referendum est: sors enim missa est quis illam tunicam tolleret; de qua quoniam narrare prætermisit qualis fuerit, et quemadmodum æqualibus factis partibus, sola remanserit, quæ ne conscindere diceretur, veniret in sortem; propterea positum est quod ait: *Quis quid tolleret*, id est, quis eam tolleret: tanquam sit totum illa diceretur: *Diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis tunicam, quæ partibus æqualibus superfuera, tolle-**

(Trénte-quatre.)